





467. N. 32. 14  
THESES JURIDICÆ  
INAUGURALES,

quas

1710 10  
SOLO DEO PRÆSIDE,

ex

DECRETO ET AVCTORITATE  
MAGNIFICI & INCLYTI

RECTORVM ORDINIS

in

ILLVSTRI HAC ALTDORFINA,

PRO LICENTIA,

publice ventilandas

exhibet

ad d. 18. Februar. An. c1710 CCX.

JOHANNES CONRADVS *Sörgel*  
Herspruoco-Noricus.

---

Literis MAGNI DANIELIS MEYERL,

DEO  
ET  
PATRONIS.



## BENEVOLE LECTOR!

**N**E te nimis prolixo Praefamine remorer, paucis rationem instituti mei tibi exponam. Loco Inauguralis Dissertationis Theses sive Positiones quasdam ex vario jure desumptas conscribere, moremque in Academia hac introductum observare libuit, quia licuit, nec licuisset, si adeo morem illorum minime approbandum, qui materiam Disputationis ex diversis Disputationibus excerpere & de charta in papyrum conjicere solent, sequi libuisset. Methodus nulla est: Et quomodo posset laqueus ex arena fieri? Ab

A 2

Au-

Auctorum allegatione & Auctoritatum  
 coacervatione studio abstinui, Legibus &  
 rationibus vincere, aut vinci cupiens.  
 En patet hisce in assertionibus apertissimus  
 aq; ac latissimus disputandi campus, &  
 hoc credo scopo meo suffecerit. Liberta-  
 tatem dissentendi, quam mihi sumo, cui-  
 que lubens relinquo: quaestiones quippe  
 hic exhibitae fere omnes tam clarae non  
 sunt, ut iis consentiat Julianus, nec con-  
 tradicat Marcellus. Dissentiat modo quis-  
 piam rationabiliter & modestè, ego enim  
 cum modestissimo Baldo sum paratus, ut  
 à quocung; correctiones modestas patienti  
 animo ipse modestus praestoler, quia igno-  
 rare non est vitium, sed natura, & in  
 nullo peccare divinitatis magis quam  
 humanitatis opus.



J. J.

I.

**P**Ræter alias Divisiones Justitiæ solitas, scitu magis necessaria, & in foro recepta est ea, quæ habetur in Ord. Cameral. P. II. tit. 1. §. 2. ubi Justitia in denegatam & protractam dispescitur; Veruntamen ab hac omnino differt postergata Justitia, quæ potius Injustitia est, sive habitus contemnens Leges, iisque non obtemperans, quæ dici etiam aliquo modo potest denegata Justitia, quando Justitia nimirum parti, vel plane denegatur, vel Justitia vulneratur, prosternitur, profligatur, conculcatur, suffocatur, devirginatur, prostituitur, negligitur, sepelitur. Vnde optimo jure injuria, iniquitas, & quicquid contra jus & æquum fit, aut permittitur, audit; Græcis ἀνομία seu ἀδικία. Ist hac de postergata Justitia insignem Tractatum nuperrime

A 3

edi-

edidit Andr. von Mandelslo; confer. hic  
*cap. 1. p. 12. ibidem.*

II.

Quædam Beneficia privilegia quidem  
esse cenſeo, ſed omnia privilegia beneficia  
nominari poſſe nego.

III.

Ex pacto nudo de Jure Canonico & de  
Jure hodierno oritur quidem agendi reme-  
dium. Aſt ex pacto nudo de Jure Civili nul-  
lam actionem competere palam eſt, quam-  
obrem in hoc paſſu palpabilem inter Jus Ca-  
nonicum & Civile agnoſcendam differen-  
tiam, ſtatuo.

IV.

Si Procurator ſolvendo non eſt, Domi-  
nus in integrum reſtitui poteſt.

V. Sibi



## V.

Sibimetipsi suffragium dare licet, quod prodest eligendo, dummodo plures deinceps eidem suffragati fuerint, suffragio quippe ejus, qui alios antecedit, non minus valente, quam illius, qui sequitur.

## VI.

Utut legitima dicatur pars hæreditatis ab intestato debitæ, tamen eidem non ad-versatur, quo minus ista nonnunquam acti-one ex testamento exigatur.

## VII.

Institutus licet filius sit in legitima, ni-hilofecius quandoque totum testamentum, validissime conditum, jure optimo maximo evertit.

## IIX.

Defunctus utut nec voluntatem, nec po-

potestatem amplius habeat, nihil impedit,  
quo minus adhuc contrahere valeat.

## IX.

Militi ejusve uxori correis pecuniam cre-  
dens, habet quidem actionem, sed non sem-  
per exactionem.

## X.

Non est verum, quod asseritur, nullam  
actionem petitoriam dari directo & princi-  
paliter ad possessionem petendam.

## XI.

Illi, qui per *L. 63. pr. ff. pro Soc.* compe-  
tentia beneficium ad Fratres extendunt, ra-  
tiones quidem apparentes adferunt, sed ist-  
hoc privilegium minime fundantes.

## XII.

Non consentiendum duco eis, qui arti-  
culum do ut des, cum permutatione solenni-  
ter

ter confundunt, & pro uno eodemque contractu habent, sed eundem ab isthac longe distinctum & differentem esse cum aliis verius statuo.

*XIII.*

Sponsalia de presenti, licet à matrimonio discrepent, nullumque verum matrimonium constituent, tamen liberos ex his ante Benedictionem Sacerdotalem natos, non puto à successione excludendos.

*XIV.*

Nihil impedit, quo minus pater sub curatela filii, & filius adeo majorennis sub curatione patris esse possit.

*XV.*

Ad ultimum supplicium damnatus nec hodie testandi facultatem habet, licet ipsi nec voluntas nec bona deficiant, circa hæc quippe confiscatione bonorum duntaxat restricta.

B

*XVI. Ad.*

XVI.

Adversus filii testamentum matri præteritæ aut sine justa causa exhæredatæ, non semper datur quærela inofficiosi testamenti.

XVII.

Non refragatur juris analogiæ, ut id, quod in codicillis relictum est, quandoque imploratione officii Judicis, quandoque actione ex testamento exigatur.

XIII.

Ultima voluntas etiam sine omni scriptura & teste, nec non judiciali ac Principis auctoritate subsistit.

XIX.

Qui ignorans Socerum mox non solvendo futurum esse, ab eodem dotem accepit, Pauliana actione à Creditoribus jure non convenitur.

XX.

Solvi potest aliud pro alio & pro invito.

XXI. Pro

*XXI.*

Pro impensis rem retinere potest, commodatarius, depositarius, negotiorum gestor, mandatarius, socius, venditor, emtor & creditor, & hoc quoque jure utitur conductor, & emphyteuta, idem sartor, auriga, vel tabellarius, scriptor, stabularius, vel caupo, imo & dominus hospitii.

*XXII.*

Imperfecta dispositio parentum non locum habet inter liberos naturales.

*XXIII.*

Contra res pupillorum tam mobiles quam immobiles, nec incipit præscriptio, nec contra defunctum cœpta currit, sed durante pupillari ætate omnis præscriptio cessat atque dormit.

*XXIV.*

Syndicus absque speciali mandato de rebus Civitatum & Ecclesiarum ob incertitudinem

dinem earum transigere, jus vero liquidum remittere nequit, nec alia ratione quicquam in earundem detrimentum agere.

*XXV.*

Quod vulgo ajunt, jus nostrum habere cereum nasum, aut ab invidia venit, aut ab inscitia, interim tamen verum dicitur, quod jus nostrum habeat & ferreum & cereum nasum.

*XXVI.*

Testis de veritate testificare cogendus est, etiamsi se non testaturum juraverit.

*XXVII.*

Interrogatus à Judice testis an sit fur, homicida, adulter &c. respondere non tenetur, quamvis juraverit, se ad omnia interrogatoria responsurum esse.

*XXVIII.*

Heres, cui imposita est à testatore facti præ-

præstatio, non liberatur præstando interesse, quamvis alias in obligationibus facti, aliquis à facti præstatione liberetur, per *L. 13. ff. in fin. de re judicat.* & *L. 72.* & *L. 112. ff. de V. O.*

XXXI.

Transactio remedio *L. 2. C. de rescind. vend.* propter enormem læsionem jure non rescinditur, neque id probant textus, quos hujus sententiæ patroni afferunt, nec evincunt eorundem rationes.

XXX.

Testator conditionem istam, si Evangelicus Pontificiam, vel contra, Pontificius Evangelicam amplexus fuerit religionem, legatario vel hæredi licitè adscribere potest, ita, ut vel satisfacere voluntati testatoris, vel hæreditati aut legato renunciare teneatur.

XXXI.

Nobilibus immediatis Imperii multi Superioritatem territorialem denegant, ipsis tamen eandem competere censemus, quamvis Status Imperii nec sint, nec forte unquam fuerint.

XXXII.

Autor famosi libelli licet nomen suum subscripserit, nihilominus tamen eundem pœna famosi libelli teneri verius est.

XXXIII.

A patre quoque filius, in potestate constitutus, non obstante patria potestate, feudum licitè acquirit, licet communiter Interpretes Juris Feudalis dissentiant.

XXXIV.

Fallacia quæstionis est, si quis ex me

anb



quærat, ut nominem actionem realem  
 contrariam; optima enim erit responsio, si  
 dicam, esse actionem innominatam, quod  
 idem est, ac si dicerem, esse ens rationis.  
 Nulla enim potest dari actio contraria rea-  
 lis. Committerem enim contradictionem  
 in adjecto, si contrariam vellem actionem  
 dicere realem. Nam realis actionis funda-  
 mentum est jus in re, contrariæ vero jus  
 ad rem, seu obligatio, quæ ubique toto  
 cœlo à se invicem differunt. Ex obliga-  
 tione quippe fluunt actiones non reales,  
 sed personales, & quidem ex obligatione  
 principali seu primaria, personalis directa,  
 ex obligatione secundaria & minus principa-  
 li, actio personalis contraria.

Tandem ne mihi L. B. sis con-  
 trarius, qui me tibi omni obser-  
 vantia ac studio addictum quavis  
 occasione exhibere contendam,  
 est

est, quod Te obnixè atque officio-  
 sissime rogo, Tibique & mihi  
 quævis ad vota fluentia à NV-  
 MINE DIVINO  
 expeto.


H. S. L. E. G.



Altdorf, Diss., 1710-11


X 2344169





N. 52. 2  
14

1710 10

THESES JURIDICÆ  
 INAUGURALES,  
*quas*  
 SOLO DEO PRÆSIDE,  
*ex*  
 DECRETO ET AVCTORITATE  
 MAGNIFICI & INCLYTI  
 ICTORVM ORDINIS  
*in*  
 ILLVSTRI HAC ALTDORFINA,  
 PRO LICENTIA,  
*publice ventilandas*  
*exhibet*  
 ad d. 18. Februar. An. cId CCX.  
 JOHANNES CONRADVS  *Sorgel*  
 Herspruoco-Noricus.

Literis MAGNI DANIELIS MEYERL.

